

239

237

243

filiam adoptaverat, ex qua habuit filium posthumum, qui tamen
in infantia obiit, et post paucos annos Jacobus rex in lectum ex-
tremae aegritudinis incidit senatumque Venetum tutorem regni
instituit et obiit. Et ita Cypri regnum in manus Venetorum ha-
reditario jure devenit; reginam enim superstitem in regno qui-
dem dimiserunt, sed sine marito: et ita hodie est in Nicosiae
palatio, quem ego vidi in mea prima peregrinatione.

Et iste est brevis regni illius recursus a temporibus vetustis-
simis usque ad hoc nostrum aevum. Continent autem historiae
multa de hoc regno, quae brevitatis causa omitto. Hoc autem
singulare legi, quod quodam tempore tantae ibi erant divitiae, ut
urnae puteorum et catenae earum essent argenteae, et in regiis
palatiis aureae. Sed nunc longe aliter est, et desolatio magna
et miseranda ibi ex malo regimine cernitur. Triplici enim malo
subjacet terra illa. Primum est, quod suis veris haeredibus est
privata, et dignitas regia, qua a tempore Beli vetustissimi, qui
fuit ante Christi adventum 1930, usque ad tempora Ludwici, (158 a)
Carlottae mariti, qui fuit anno post incarnationem Domini 1463,
semper fuit honorata, in tantum, quod nobiles Christianitatis, qui
in dominico sepulchro militiam adepti fuerunt, non reputabant se
veros milites, nisi cum regibus Cypri confoederationem fecissent
et signum ejus amicitiae accepissent, sicut patet supra P. I. Fol.
16. A. Et in tanto honore reges Cypri habebantur, sicut reges
Jerusalem, quia regnum sanctum Hierosolymitanum in Cyprum
fuit translatum, et habebatur Cyprus a cunctis fidelibus aditus in
terram sanctam, per quem Jerusalem redimenda staret, sed nunc
contraria via est, nam Veneti propter Cyprum foedere colligati
sunt Turcis, quod sic accidit. Defuncto enim Jacobo spurio, ultimo
rege, Fernandus rex Siciliae aspirabat ad regnum et Venetis plu-
rimas irrogabat injurias Turcumque contra eos concitabat, ut sic
fractis ipse in Cyprum liberum ingressum habere posset. Viden-
tes autem Veneti, se undique gravatos, cum Turcis pacem fece-
runt anno 1456, quae res effecit, ut Turci relictis Venetis omnem
belli vim in Fernandum converterent, atque ita Hidruntum, Apu-
liae civitatem optimam, cepit, et nisi Deus sua misericordia suc-
curisset, tollendo de medio Machometum Turcum magnum, jam
totam Italiam Turci possiderent. Ecce, quomodo Cyprus facta est
ecclesiae laqueus!

233

248

228

288

188

338

138

Ende

Anfang

